

INDEX.

- I. Excerpta controversiarum illustrium de Soto Vellejano.
- II. — — — de sponsalibus.
- III. — — — de fidelio ex jure publico, fideliali et canonico.
- IV. — — — de testamento in officioso.
- V. — — — de Testamentis Principum Imp.
- VI. — — — de successoribus ab intestato quoad ascenderer et collaterales.
- VII. — — — de conflictio.
- VIII. — — — de conditio.
- IX. — — — de cambio.
- X. — — — de actionibus.
- XI. — — — de artibus.
- XII. — — — de aedificiis.
- XIII. — — — de fiduciis.
- XIV. — — — de fons impeni.
- XV. — — — de donationibus mortis causa.
- XVI. — — — de libero illegitimio.
- XVII. — — — de legitima.
- XVIII. — — — de lege Rhodia de iactu.
- XIX. — — — de iudice et epus officio.
- XX. — — — iure venantio.
- XXI. — — — de rebus pro derelictio habitio.
- XXII. — — — de patria potestate.
- XXIII. — — — de pretio in emtione venditione.
- XXIV. — — — de auctorib[us].
- XXV. — — — de vi publica vel privata.
- XXVI. — — — de testamentis.

Wd. 79:

- XXVII. Excerpta controversiarum illustrium de compensationibus.
 XXVIII. — — — de lectionis ultimorum voluntatum.
 XXIX. — — — de errore in contractibus.
 XXX. — — — de preceario.
 XXXI. — — — de substitutionibus.
 XXXII. — — — de probationibus.
 XXXIII. — — — de aggratiandi iure.
 XXXIV. — — — de iure circa prædia eorumq[ue] sive
interior.
 XXXV. — — — de beneficiis legi et inventari.
 XXXVI. — — — de addictione in diem.
 XXXVII. — — — de formalibus processis in genere.
 XXXVIII. — — — de jure emphystetico.
 XXXIX. — — — de locutione conductione facta.
 XL. — — — de legalibus.
 XLI. — — — de feloniam.
 XLII. — — — de societate.
 XLIII. — — — de restitutione in integrum.
 XLIV. — — — de clandifica desponsatione.
 XLV. — — — de iuri Ioh. Vellejani tam in foro
Rom. quam in foro Gallico.
 XLVI. — — — Specimina differentiarum iuris Rom.
et Gallicani circa materia fere competentia.
 XLVII. — — — Specimina differentiarum iuris Rom. et Gallici circa
materia procuratorum.
 XLVIII. — — — circa materia transactionum.
 XLIX. — — — circa promovendor ad beneficia ecclesiastica.
 L. — — — circa materiam festuum.


21.

- L.I. *Potitiones circa matrimonium.*
L.II. *Referenda ex quaestu iurisprud. passibus deponita.*
L.III. *de restituzione in indebetis ob dolit malit.*
L.IV. *de regulari commerciorum libertate.*
L.V. *de renuntiationibus in genere.*
L.VI. *que questiones de venia abatis.*
L.VII. *de insula potiora capita.*
L.VIII. *que questiones selectae de transactionibus.*
L.IX. *de successoribus testamentariorum.*
L.X. *de insula materna et avita.*
L.XI. *de iure hereditario.*
L.XII. *de iure legis latono civitatum imperialium.*
L.XIII. *de causa ob quae locutor iniquilinum ante semper statutum expellere potest.*
L.XIV. *de cautione infrafructuaria.*
L.XV. *de benedictione facie scatali.*
L.XVI. *de auctoritate et consensu tutorum et curatorum.*
L.XVII. *de furto.*
L.XVIII. *de dispensatione matrimoniorum in gradibus prohibitis.*
L.XXIX. *de oculis.*
L.XX. *de utri contemplatione.*
L.XXI. *de videjussione.*
L.XXII. *de renovatione investitura. —*
L.XXIII. *de rei vindicatione.*
L.XXIV. *de possessione.*
L.XXV. *De origine, usi et auctoritate regula: paterna paternum, maternal maternus.*
L.XXVI. *de occupacione in genere.*
L.XXVII. *de confuetudine.*
L.XXVIII. *de differentia iuriarum et annuorum reddituum.*
L.XXIX. *Specimina legi Rom. apparenter ad iuriam.*
L.XXX. *de successione ab interstato.*

LXXX.

Q. D. B. V.
EXCERPTA xxii.
CONTROVERSIARUM
ILLUSTRIUM,
^{D E}
REBVŚ PRO
DERELICTIS
H A B I T I S
P R A E S I D E
VIRO Nobilissimo, Amplissimo,
Consultissimo atq; Excellētissimo
DN. JOHANNE HENRICO
F E L T Z I O,
J. U. D. Pandect. & Jur. Can. Prof. P.
& Ord. Celeberrimo p. t. Jurid. Facult.
Decano spectabili
SOLENNI eruditorum disquisitioni s̄isit
Ad d. 23. Martij M DCCVIII.
JOSEPHVS THOMAN, Ingershemensis.
Horis locoque solitis.
ARGENTORATI,
LITERIS IOSIÆ STÆDELII Acad. Typogr.

V I R O
Reverendissimo & Amplissimo
D O M I N O
D N.
DE BAVQVEMAR
MONASTERII PAIRISIENSIS
SACRI ORDINIS CISTERCIENSIS
A B B A T I ,
Doctori Sorbonico, nec non Supremi
Consilii Alfatici Consiliario
honorario
P A T R O N O O P T I M O
Quaecunque hoc studii Juridici specimen
summa cum devotione
Humillime offert & dedicat obsequiosissimus
ejus Cliens
J O S E P H U S T H O M A N .



PRÆLOQUIUM.



Um haetenus pro
modulo mearum vi-
rium , meique inge-
nii, celeberrimi stu-
dio Juris hac in universitate incu-
buerim , placuit quoque ejus rei
in publica Cathedra periculum
facere , ne omnino ea , quæ qui-
dem addidicisse licuit , solis parie-
tibus didicisse censeri queam.

A 2 Hanc

Hanc intentionem meam desiderium parentum & amicorum expectatio jam præverterunt, verum cum ultra conscientiam & præsumptionem circa memetipsum mihi indulgere non voluerim, aliquandiu moratus sum, quoad præsens jam occasio majori me impleverit audacia. Elegi itaque materiam fortuito mihi non nullos locos percurrenti objectam *de rebus pro derelicto habitis*; circa quam aliquas controversias nec ignotas, nec ut puto injucundas nec inutiles proposui; qua ergo modestia publi-

co hæc examini subiicio, ea quo-
que benevolum auditorem &
lectorem rogatum cupio , ut er-
ratis ignoscat,superflua prætereat,
bona accipiat, sibique persuade-
at, me eodem erga ipsum semper
Jure usurum. Sit itaque

Controversia I.

*An merces & bona tempesta-
tis tempore nave ejecta re-
putentur pro derelictis
habita?*

Questio hæc à diversis tum Juris na-
turalis doctoribus, tum Juris ci-
vilis scrutatoribus varie & diffor-
mibus sententiis agitata est; inter quos,

A 3

qui

qui ejusmodi jactata pro derelictis habent,
 his forte moventur. Dominum rerum
 tam diu manet apud illos, quorum sunt,
 quamdiu hi illarum dominio non re-
 nunciant vel renunciare censentur; *Grot.*
II. IV. 14. Illud fit, quando domini expres-
 se voluntatem manifestant de renoniam-
 plius habenda, hoc vero tum contingit,
 cum necessitas ejusmodi ingruat, ex qua
 elici possit dominum amplius rem suam
 non velle habere nec posse. Hic sane vis
 major idem operatur, atque ibi consen-
 sus alienationis palam datus. Neque enim
 putandum est, rem semel alicujus factam
 immutabilem & inalienabilem apud il-
 lum futuram esse; voluntas autem dere-
 linquendi præsumitur ex necessitate amit-
 tendi, quod alias conforme est nostro
 quoque Juri. Ita, si fluvius decerpatur &
 divellat particulas agri atque alterius fun-
 do adpellat, prior particularum decer-
 ptarum dominus illas amittit *l. 30. §. 3. ff.*
de acq. rer. dom. §. 20. l. de rer. diu. Ita vide-
 tur

tur validum argumentum peti posse ex §.
 14. 1. de rer. diu. ubi Imperator in quæstio-
 ne, an, si examen apium evolaverit, illud
 eo ipso dominio prioris domini abscedat,
 respondet: *eo usque intelligitur esse tuum,*
donec in conspectu tuo est, nec difficilis per-
secutio eius erit, alioquin occupantis fit.
 Quid apertius ad rem nostram? apes sunt
 domini, sunt & merces, apes evolant,
 quod hic magis, ipse dominus ejicit mer-
 ces, apes extra conspectum evagatae per-
 eunt domino priori, sed & telo citius con-
 spectui eripiuntur merces, quod illic ae-
 ris favor est, hic est aquæ inclemensia;
 difficultas persequendi apes privat domi-
 num suo Jure, quid autem difficilius, quam
 intra furentes fluctus merces persequi in-
 certas prorsus quo ferantur? Hinc sane
 consuetudo bona naufragorum acqui-
 rendi, pluribus usitata gentibus non us-
 que quaque iusta fuit, saltem justitia in-
 terna & naturæ permittentis. Nam & si
 leges civiles Romanæ illa invenientibus
 non

non indulserint l. 1. C. de naufrag. auth. na-
 vigia C. de furtis. l. 9. ff. ad l. Rhod. de jact.
 quæ tamen nihil positivi decernit; in Gal-
 lia certe nondum illa consuetudo qua
 hæc bona ut *ἀδέσποτα* fisco vindicantur,
 prorsus ita exoluit, ut contrarium ha-
 beatur indubium; etenim referente
 Grammondo l. 16. *Histor. Gall.* p. 717.
 cum classis ex Indiis redux naufragium fe-
 cisset ad Gallica littora, bona præcipue
 ad ducis Epernonii feudum adpulsa sunt,
 quibusdam ea vindicantibus Regi, qui-
 busdam restitutionem dominis facien-
 dam urgentibus; subjicit *Historicus*, certè
naufragio mutatur possessionis titulus, de-
fendique potest opinio, quæ maris littora
communia omnibus faciens primò occupan-
ti res in littore inventas attribuit. Deni-
 que firmamentum his accedit ex Jure
 quoque Civili; Ulpianus in l. 43. §. 11. ff.
 de furt. proponens ea quæ huc spectant,
 quæstio, ait, in eo est, an pro derelicto habi-
 tum sit, & si quidem derelinquentis animo
jacta-

NON

iactavit , quod plerumque credendum est,
cum sciat periteturum. Agnoscit ergo, tum
quem derelinquere censeri , cum sciat id
periteturum esse, quod cum regulariter in
naufragio fiat , certe ejusmodi bona pro
derelictis reputari possunt.

Æquitatem tamen & humanitatem
secuti in contrariam transgredimur sen-
tentiam, cum ad id, ut res à domino va-
lide alienetur & derelinquatur , requira-
tur consensus & affectus illam rem dere-
linquendi. Jam vero nihil consensui tam
contrarium est quam vis & metus l. 116. pr.
ff. de R. J. Quod autem voluntas rem de-
relinquendi concurrere debeat, facile pa-
tet ex iis , quæ præcedunt §. 47. I. de R.
46 diu. ubi Imperator agit de traditione, quæ
non potest fieri nisi ex voluntate traden-
tis l. 5. ff. de A. vel A. P. l. 11. ff. de R. I.
Hinc jactans merces periculo inevitabili
coactus & perpulsus non majore Jure il-
las facere occupantis videtur , quam, qui
vi metuque coactus aliquid vel dedit vel

B pro-
+ volent enim periculo liberata
tradent etiam tradent
(cum eis voluntaria esse)

alii actio
eius monte
et no mataror
us in metu
tempo rro
volvularior
epule Chri
grisferet
corpotramp
diffentia
volvare negant
prodamnum quod
genfia Culpe
fentis operatio
vad per euge
quod mari quod
fist rapider fay

promisit, tot. tit. ff. quod metus causa. Ista
 porro à prætore restituuntur l. i. ff. quod me-
 tus c. & pro talibus habentur, ac si non ge-
 sta fuerint, pari modo & jactata haberi
 debent, quasi non jactata fuerint. Hinc
 certe sanior opinio nobis videtur, ejus-
 modi res jactatas a domino sub spe recu-
 perandi, quando evaserint périculum, in
 numerum derelictarum non redigi; quod
 etiam aperti nostri Juris textus compro-
 bant §. 43. J. de R. diu. l. 9. §. fin. ff. de A.R.
 D. l. 2. §. 8 l. 8. ff. ad. L. Rhod de iact. Ziegler
 ad Grot. II. 44. Spectat huc regula l. 21. §. 2.
 de A. vel A. P. quod salutis causa inter-
 missum est, non potest pro derelicto ha-
 beri. Quod si concedatur, in dubio esse,
 an non dereliquerit dominus, qui ejicit
 res interituras, saltem pro domino potest
 responderi ex l. 168. §. 1. ff. de R. I. cum af-
 fectionem ille semper censeatur retinere
pro conservatione rerum suarum; neque
enim quis in periculis liberalis existit. Aliud
 tamen Juris est, si res talis sit, quam
 sciam

*mēnd acciūm fōr
pēni inberunt*

48

*→ vall tamen
potius hab
peaderet
quam vitam*

sciam statim peritoram l. 43. § 11. ff. de furt. Si cum jactore vel de
Cæterum cum Celeberr. Dom. Schilt. in l. 11. 11. sequit quoniam
Inst. ad §. 48. de R. diu. id indulgemus,
legislatorem posse definire tempus iis, qui
res ejusmodi ejecerint, intra quod ejus-
modi res rationabiliter repetere queant,
quo neglecto, illi privari dominio rerum
suarum possunt, cum tum censeantur re-
nunciasse suo Juri in illas res tempore
præscripto non requisitas & illas transstu-
lisse vel ad inventores vel ad fiscum illo-
rum locorum, quo appulsæ fuerint vid.
Schilt. d. l. §. 54. ut habeat coi ipsa ex legibus decisa sit
cum vero proposito
neque hæc res pessima
refutari auctoritate
fumendum sit quia
hæc et moratur
certum est ad am-
plius ab iuri erat
quod si p. unava-
riam repetitio
al rea repetitor
et optat ea oper-

Controversia II. quam tempore proposita
quod reperire tenet
An satis sit, si quis rem pro
derelicto habitam occupa-
verit, ad dominium acqui-
rendum, an vero etiam annuum sit
usucapere necesse habeat? latus super dabo
eiusmodi fons vero

9701 B 2 Po-
anno uti in 8648 pnt de R Lgiv. dit non
quis eas abeatur animo pendendi eum si nung
poneret nec p. ompt. et usq. summae



Osterior præmissæ quæstionis pars
videtur hic fundamentum do-
minio facere , cum antea con-
scientiam salvam quis non habeat, ut po-
te qui scire nequeat, in qua conditione
res sit, quam occupat, imo potius conij-
cere debet, rem alterius esse nec suam
adeo fieri posse per necdum tumultuarie
occupationis actum. Eleganter in hanc
rem *Justinianus Imperator l. ult. C. unde*
vi. omnes autem scire debent, quod suum
non est, hoc ad alios modis omnibus perti-
nere. In rebus enim, quæ natura sua occu-
pabiles non sunt , quæque alicujus esse
existimari possunt, etiamsi quis putet eas
pro derelicto esse habitas , hoc non suffi-
cit ad procurandum ipsi titulum, sed post-
quam bona fide putavit, eas res pro dere-
licto esse habitas , usucaptionem necesse
habet implere. Hinc *qui falso existima-*
verit rem pro derelicto habitam esse, illam
non potest pro derelicto usucapere. Exigitur
propterea ad factum derelictionis ex una
parte,

parte, factum usucaptionis ex altera parte, quod connexio tit. ff. pro derelict. cum præcedentibus innuit. Imperator enim traditis modis acquirendi dominium J. G. tit. I. lib. 41. ff. pergit in tit. 3. ad modum Jure civili acquirendi dominium. Porro usucapio requirit justos titulos, ad id, ut perficiatur, quos Imperator deinde sub-jungit, tit. 4. pro emptore tit. 5. pro herede tit. 6. pro donato. tit. 7. pro derelicto. Agnoscit itaque, derelictionem tantum esse causam, ex qua usucapio deinde consummari possit, nudam ergo non sufficere ad dominium transferendum. Aperte quoque huc collimat l. 4. ff. pro derel. id quod pro derelicto habitum est, et haberi putamus, usucapere possumus, dicit: usucapere possumus; id est, dominium nondum habemus sed habebimus si usuciperimus. Eadem mens est l. 5. pr. ff. eod. ubi ait Pomponius, illum qui rem pro derelicto habitam possidet, non habere illam in bonis suis.

B 3

Ve-

Verum placet nobis sententia illorum, qui ad dominium transferendum in occupantem nihil aliud requirunt, quam quod res à domino suo pro derelicto habita sit. Convenit hoc cum l. 1. ff. pro derel. si res pro derelicto habita sit, statim nostra esse desinit & occupantis statim fit. Egregie dicit statim. Ut vel hoc ex solo patescat superfluam esse post usucacionem. Textum hunc eodem modo exprimit l. 5. §. 1. ff. eod. id quod quis pro derel. habuerit continuè meum fit: & Imperator §. 47. J. de R. Div. si rem pro derelicto à domino habitam occupaverit quis, statim eum dominum effici. Si ergo statim ab ipso occupationis actu aliquis efficiatur dominus, quid opus est tempore ulteriori, cum res semel mea facta amplius mea fieri nequeat §. 14. J. de act. § 10. I. de leg. Ridiculum certe est, usucacionem hic exigere, cum illa tum necessaria sit, quando data est res aliena, atqui res pro derelicto jam desinit omittentis esse. l. 2. §. 1. ff. pro derel.

Est

Est ergo in nullius dominio; non itaque est aliena, cum alienum sit, quod in alterius est dominio vel Jure. Solus itaque actus derelictionis ex parte pro derelicto habentis rei derelictæ eam infert conditionem, ut jam à quovis occupari possit, hæc quoque est intentio derelinquentis, qui enim rem pro derelicto habet, simul intelligitur voluisse alicuius fieri. l. 5. §. 1. ff. pro derel. nec ab altera parte rem apprehendentis aliud quid expectatur, quam ut illius possessionem arripiendo se dominum constituat l. 2. § 1. ff. pro derel. Scilicet probe sunt hæc distinguenda; aut res propria est à domino abjecta & hæc statim cedit occupanti, aut res aliena pro propria habitæ est abjecta & tunc abjecta est cum sua conditione, id est, sicut ab abiijcente adhuc debuisset usucapi, ita etiam ab occupante debet usucapi.

Con-

Controversia III.

*An res pro derelicto habita
continuo desinat ejus esse,
qui abijcit, etiamsi ab a-
lio non dum occupata fue-
rit?*



Onstans est opinio Juris-Consultorum: in actu rem pro derelicto habendi intervenire aliquam tra-ditionem, sive illa tacita sive præsumpta vocetur; hinc etiam Imperator in *tit. Inst. de rer. div.* ex professo tractans traditio-nem in §. 47. subnectit derelictionem, non alia intentione, quam quod in illa quoque traditio quædam deprehendatur. Porro manifesti Juris est, ad id, ut traditio sibi constet, non solum exigi ex parte alienan-tis voluntatem transferendi, sed etiam ex parte alterius animum accipiendi decla-rari

rari debere. Ita etenim l. 55. ff. de O. &
 & A. in omnibus rebus quæ dominium
 transferunt, concurrat oportet affectus ex
 utraque parte contrahentium. Quo & fa-
 cit, quod res pro derelicto habita ejus na-
 turæ sit, quasi donari videatur, annotan-
 te Philippi l. 2. eccl. log. 20. At qui donatio ali-
 ter effectum suum non sortitur, nisi etiam
 adsit, qui donationem accipiat l. 10. ff. de
 donat. Hactenus ergo in casu nostro tra-
 ditio est imperfecta utpote destituta es-
 sentiali suo requisito, nimirum accepta-
 tione reali ex altera parte, quod autem
 imperfectum est, nullum est §. 7. 1. quibus
 modis test. infirmentur.

Quantumvis vero, quæ in rationibus
 dubitandi proposuimus, locum suum in
 casibus accommodis tueantur, ea tamen
 nobis non tanti videntur, ut nos ab o-
 pinione removeant, qua statuimus, occu-
 patione quoque non dum facta ab ullo
 rem tamen pro derelicto habitam, con-
 tinuo desinere ejus esse, qui illam pro de-

C rel.

rel. habuit. Aliud enim non requiritur, quam, ut quis renunciet Juri suo in aliquam rem, ad id, ut illa ab ipso abeat, non invitis Juribus, quæ solo animo possessio-
nem rerum *amitti* sæpius inculcant. *l.*
3. §. 6. l. 17. §. 1. ff. de A. vel A. P. & hic in
solo derelictionis actu satis enixe domini-
um repudiatum censetur in favorem
cujuslibet occupaturi, & traditio in incer-
tam personam collata arguit jam ejus fa-
ctum, sine quo alias res ad alios transferri
nequit. *l. 11. ff. d. R. J.* Pariter rei legatæ do-
minium à testatore defuncto transit in
personam legatarii. *l. 64. ff. d. furt.* & ta-
men contraria legatarii declaratione le-
gatum iterum ei abscedit. Sic & sola refu-
tatio feudum à Vasallo transfert, etiamsi
non dum occupatum fuerit ab alio; hinc
merito explosâ sententiâ Proculi *non desi-*
nere eam rem domini esse nisi ab alio possessa
fuerit, Juliani contraria, *desinere quidem*
omittentis esse, non fieri autem alterius, nisi
possessa fuerit à Paulo Juris- Consulto ad-
probata est *l. 2. §. 1. pro derel.* Plane

Plane putaremus in praxi, si res ejusmodi pro derel. habita aliquid incommodi secum traheret, quod vel in alios tandem vel duntaxat in publicum redundaret, si res pro derelicto habita non occupata fuisset, tum derelinquentem posse cogi, rem iterum ad se recipere, cum cogitare deberet, perceptas commoditates hac necessitate præstandi onera pensanda esse.

Controversia IV.

*An universa territoria pro de-
relicto haber i possint?*

A Equi fortasse rerum aestimatores & discernendorum negotiorum periti in hac controversia plurimum deprehendunt, quod ipsos à communis Juris applicatione distrahere possit, cum hactenus, quæ in Jure civili circa ea, quæ pro derel. haberi noscuntur, disputantur, tantum concernant Jus privatum, à

C 2 quo

quo Jus publicum nimium quantū dissensit, quam ut iisdem debeat regulis comprehendendi; prudentis autem Judicis est, bene causas distinguere, neque alias, quæ propter necessitatem recepta sint, in argumentum trahuntur, vide etiam l. 14. ff. de legibus. Cum præterea ejusmodi causas perrari sint, Jura circa illos communia non debent servari, arg. l. 4. ff. de legibus. Hinc non videmus, nec legimus, quicquam in Jure de totis territoriis alienandis & possunt ejusmodi res amplissimæ pro sanctis reputari, quæ commercio hominum exemptæ, imo nullius sunt §. 7. §. 10. J. de R. J. quæ autem nullius, non possunt alienari, quæ alienari vero non possunt, non possunt proderel haberi, cum & particularis territorii portio, e. g. ecclesia, commercium tale & inde dependentem alienationis facultatem fugiat. §. 4.. J. de Legat. sane qua ratione princeps diversis utitur Juribus. l. 31. ff. de Legibus. §. ult. J. quibus mod. test. inf. hac eadem ejus quoque patrimonia & circa

ca principalia gaudere debent. Tandem, ut descendamus ad hypothesin, nulla satis experientia animum derelinquendi universa territoria argumenta adferri possunt in præjudicium principum, qui si illa proderel. habere videri possint, id tamen semper faciunt animo in recuperationem intento & reservato. Ad id autem, ut res proderelicto habeantur, omnino est necessarium, ut constet de voluntate perfecta.

L.
43. §. 11. ff. de furt. qualis non est, si quis necessitate ductus provincias vel territoria derelinquit. Hinc forte non male Strauchius in Inst. J. Publ. lib. I. c. 20. §. 7. suggillat Conringium, qui in l. definibus Imperii R. G. C. 19. nimis liberalis fuit in præsumptionibus pro derelictione territoriorum. At sicut non promiscue derelictionum præsumptiones admittimus, posse tamen universa quantumvis territoria pro derel. haberri, nostra est sententia. Etsi enim hactenus in J. Civ. Rom. nihil de his casibus continetur, ab autoritate tamen negata nि-

hil concluditur , nec status Rei Romanæ forte id passusest; saltem exempla sunt rariora , cum Romanum Imperium magis tempore Jure Consultorum incrementum caperet . Hodie minus dubii est , quin , sicut res particulares , ita & universales per derelictionem alienari possint , quo enim modo acquisitio procedit , eo quoque repudatio . l. i. ff. pro derel. Certe non absurdum est , animum posse manifestari de provincia aliqua derelinquenda , præcipue , cum illa oneri esse possit & tenentem multis exponere incommodis , sed & id aliquando utile est & justum . Hinc , si quis sufficienter declaraverit animum de abijciendo aliquo territorio , sane ab illo id occupari poterit ; quo & referri posse putamus l. 43. §. ii. ff. de furt. si princeps peritum perventurumque ad alias manus territorium rationabiliter videat & inde volens sua præsidia detrahatur , potest censi-
seri princeps illud pro derel. habuisse . Ita in historia Hispanica legimus Alphonsum

VI.

*VI. dereliquisse plures provincias vi occu-
patas à Mauris in favorem generi Henrici
Comitis (post Portugallici) uti illas occu-
pare niteretur. Ita Græci Imperatores qui-
busdam censemur pro derelicto habuisse
ditiones Italicas, postquam armis am-
plius eas tueri non potuissent nec voluis-
sent. Ita quotidiè Insulæ in vasto Oceano
à Nationibus occupantur iterumque de-
relinquuntur, ab aliis mox nationibus oc-
cupandæ.*

Controversia V.

*An debitum à creditore pro
derelicto habitum debitori
prosit, an vero ab alio oc-
cupari possit?*

Pro debitore facere videtur, quod
nimirum tale debitum à credi-
tore pro derel. habitum debeat
operari

operari ex parte debitoris & in ejus favo-
tem remissionem debiti , quam in univer-
sum Jura reorum & debitorum favori in-
dulgent l. 125. ff. de R. J. Porro tale debi-
tum ipso quasi Jure occupatum existima-
tur à debitore,hinc,quicunque ab aliis post
occupationes succedere possent, nimirum
tardæ & insufficientes sunt , amplius quo-
que in justitiam debitoris allegari poterit,
quod feudi Dominium utile repudiatum
non alii cedat,quam Domino directo. i.f.5.
pr. 2.f. 14. qui quasi debitor est, cum te-
neatur pati, ut Vasallus omnes perceptio-
nes sui fundi & feudi lucretur. Sic & alias
analogiæ Juris conveniens reperitur , ut si
usufructuarius Jus suum velit alienare, id
debeat facere in commodum proprietati-
rii, qui sane nihil aliud est, quam debitor
usufructus rei suæ , nam cedendo extra-
neo nihil agitur. §. 3. f. de usufr. quod illu-
strius redditur. l. 66. ff. de J. Dot. ibi : si
extraneo cedatur , nihil ad eum transire sed
ad dominum proprietatis reversurum u-
sumfructum.

Nos

Nos vero, præsuppositis casibus huc convenientibus, e. g. si quis totam aliquam hæreditatem acquisitam repudiet, in quā quoque debita, in favorem cuiuslibet apprehensuri; si quis chirographum debitoris inter plures spargat, cessurum occupaturo; simpliciter filium nostri Juris sequi arbitramur, nullam hic esse differentiam faciendam, inter bona pro derel. habentis, qualiacunq; illa demum fuerint, si ve incorporalia, sive corporalia, sive mobilia sive immobilia. Nemo potest inficias ire, talem creditorem in alium, quam debitorem debitum hoc alienare posse, itaque poterit quoque pro derel. habere. Jam vero ad id, ut res pro derel. habita in alium quemvis transferatur quo ad dominium, requiritur solummodo ex parte domini prioris voluntas & animus rem aliquam in numero suarum rerum amplius non habere volentis §. 47. I. de R. D. & ex parte novi apprehensoris, quicunque ille fuerit factum possessionem occupantis l. 2. §.

D

I. ff.

Si q[uo]d p[ro]p[ri]et[ate] p[re]dictiori

*per hoc
evidere potest
quod quis dicit
constituta est credi
quod non licet
creditori h[ab]ere
neganda habet
affirmativa*

*ad p[ro]p[ri]et[ate] II. p[ro]p[ri]et[ate]
animus rem p[re]dicti
veli j[ur]is p[ro]p[ri]et[ate] no[n]
p[ro]p[ri]et[ate] p[ro]p[ri]et[ate]
cum super doce*

I. ff. pro. derel. Hæc momenta cum eximiè
in præsenti casu conveniant in alium quo-
que quam debitorem, consequens est di-
cere: debitum à creditore pro derelicto
habitum ipso Jure non pervenire ad de-
bitorem, sed per factum occupationis ad
primum apprehendentem.

Controversia VI.

*An res in fuga hostibus reli-
ctæ, censemur simpliciter
pro derelicto esse habitæ?*



Ullum amplius dubium super est;
quin res ab hostibus legitimis oc-
cupatæ, ipsorum fiant justissimo
titulo, sive res ipsius principis sive ejus sub-
ditorum sint. Ulterius autem perpenden-
dum est, qualis sit intentio eorum, qui in
fuga constituti res suas abjiciunt, volentes
desinunt habere rem, quæ antea ipsorum
fuit,

fuit; hinc juri suo in illam rem, quantum apud ipsos fuit, valide renunciaverunt, quod expressè elicitur, *ex l. 2. §. 1. ff. pro derel.* quæ ad id, ut res pro derel. habita censi-
seri queat, requirit, (1.) ut voluntas ad-
sit dereliquendi. (2.) ut res quoque ipso
facto abijciatur & omittatur, tum enim
ait *J Ct. desinere omittentis esse.* Utrumque
hic deprehenditur. Hoc autem nihil im-
pedit, quod ejusmodi res ab hostibus non
sit occupata sed ab alio; id enim cum sor-
ti imputandum sit, nihil aliud exigitur,
quam ut res desierit omittentis esse. Ha-
c tenus ergo Jus prioris domini cessavit,
& res in illum statum devenit, ut à quolibet
apprehendi posset, & certè qui quan-
tum in se fuit, rem dereliquit hosti, po-
test intelligi magis voluisse favere in hac
re acquirenda cuilibet alii illam forte oc-
cupaturo. Denique mens legis *43. §. 11.*
ff. de furt. videtur id confidere, ubi pro-
posita quæstione de jactis è navi conclu-
dit, animo derelinquendi jactum esse fa-

D 2 etum,

Etum, & enim prosequitur, quod plerumque credendum est cum sciat peritum. Jam vero, qui hosti rem obijcit, scit maxime illam sibi peritum. Si itaque alius rem illam apprehenderit, quæritur, an hujus quoque Jus fundatum sit, & respondet Juris Consultus, qui invenit, suum fecit. Res ergo tales simpliciter censentur pro derel. esse habitæ, etiam in favorem eorum, ad quos non putabat obijciens illas esse per venturas, tradidit enim personis incertis, voluntas autem Dominicollata in personam incertam transfert rei proprietatem §. 46.
J. de R. D.

Nobis vero sententia contraria vide tur esse anteferenda, cum humanior sit & æquior præ subtilitatibus Juris, quæ summum Jus aliquando in summam convertunt injuriam. In omnibus quidem, maxime tamen in jure æquitas spectanda est. l. 90. ff. de R. J. Si certe negotium hoc penitus introspiciatur, voluntas derelinquentis non ex se principium habuit, sed ex causa.

causa aliqua externa, nimirum periculo hostili; est ergo voluntas imperfecta, qualis alteri Jus nullum tribuit. Deinde voluntas hæc tacita quadam conditione stipata esse censetur, nimirum, ut si hostes non apprehenderint, dominium abiijcenti retro reservatum sit, imo talia semper ita abjiciuntur, ut, si contigerit occasio illas recuperandi, obstaculo remoto, salvum sit dominis prioribus Jus. Simile quid deprehenditur in jactatis ex navi; non enim ejusmodi res simpliciter pro dero-licto habentur, sed tum, si quis satis declaraverit animum illas res non amplius habere volentis, qui autem jactavit, ut si salvum fuerit haberet l. 43. §. 11. ff. de furt. rem nondum amisit, sed ejusmodi res scienter apprehendens furti tenetur; conf. §. ult. Inst. de R. D. & ibi omnino Locamus num. 92. Plane, qui in fugam projectus rem abiicit, dominium rei suæ non desinit habere, sed censetur retinere animo; factum enim abjectionis non est li-

D 3 berum

berum nec supponit consensum perfectum & purum Juri suo renunciandi; cum talis ipsi quoque hosti hanc rem iterum auferre queat; qua ergo ratione extraneus aliquid Juris in illam prætendit, qui præter voluntatem Domini illam apprehendit? vid. tamen

Locamerum l. c.

F I N I S.



Dum



Dum specimen pandis nostra laudabile Divæ,
Vix animus plenus Gaudia ista capit.
Nexus amicitia fuerit non sanctior alter,
Ex quo inse cupide vincula nostra ruunt.
Dissere, amice, diu, reputent quæ Jura relictæ?
Materies nostro ex pectore semper erit.

Paucis hisce amico integerrimo, Nobilissimo Domino
Respondenti ex animo applaudit

JOANNES GEORGIUS DENNER.
J. U. Cand.




Ka 3202.


Vp
18

ULB Halle
007 678 533

3







Farbkarte #13

xxii.

Q. D. D. V.
E X C E R P T A
CONTROVERSIARUM
ILLUSTRIUM,
^{D E}
R E B V S P R O
D E R E L I C T I S
H A B I T I S
P R A E S I D E
V I R O N o b i l i s s i m o , A m p l i s s i m o ,
Consultissimo atq; Excellentissimo
D N . J O H A N N E H E N R I C O
F E L T Z I O ,
J. U. D. Pandect. & Jur. Can. Prof. P.
& Ord. Celeberrimo p. t. Jurid. Facult.

Decano spectabili

S O L E N N I eruditorum disquisitioni sifit

Ad d. 23. Martij M D C C V I I I .

J O S E P H V S T H O M A N , Ingershemensis.
Horis locoque solitis.

A R G E N T O R A T I ,
L I T E R I S I O S I A E S T A E D E L I I Acad. Typogr.

B.I.G.